ILLVSTRISSIMO SERENISSIMOQVE PRINCIPI D. HENRICO A LOTHARINGIA EPISCOPO Comitique Virdunensi QVIRINVS VIGNONIVS felicitatem.

SALVEBIS à Quirino tuo (PRINCEPS ILLVSTRISSIME) & quod ego ab humanitate tua, iure non potius meo quàm tuo expectare possum, munusculum hoc quod inter amicorum dona tuo nomini appono addicóque, beneuolè, ita velis, accipies. Adaugebis amorem in te meum, & exaggerabis beneficia in me tua, qui amorē in me tuū, & qui se in meos sæpe aperuit, diu iam in magni beneficij ac dignitatis partē numero. Nec peccare credo, siue in ciuilem siue in sacratiorem dignitatem tuam, quòd hanc paginam, & hanc electam ex Medicinæ adytis quæstionem, tuæ Amplitudini nuncupo. Artis, quam sacræ litteræ nobilitant, quàm Alexander ille magnus non amore solum, sed cura & studio cum amicorum vtilitate coluit, quam Athenienses seruum hominem discere vetuerunt, quæque hoc Ordini vestro propior est, quòd eorum medetur corporibus, quorum vos animi salutem procuratis. Quæ vt tu illā probè amas, ita te Præsule, feliciter efflorescat: itáque in terris valeas, vt cum multis quos ad beatitudinis decus adiuueris, æternùm in cælo floreas. Salue ac Vale. Paris. Id. Mart. 1594.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS Medicorum die Martis xv. Martij. D Henrico Blacuodæo Doctore Medico & Decano moderatore prudentissimo.

Est-ne hepatitis arte expugnabilis?

QVÆ partibus inest humani corporis actionum varietas ab ipsarum varia temperamenti forma & virtute enata, cùm beneficio caloris natiui elucescat, hunc meritò actionum autorem, quæ quibusdam innatæ partibus inhærent, aliis verò aduentitiæ è fonte in ipsas tanquam in riuulos effluunt ac deriuantur: Contrarium verò destructorem potius & inimicum agnoscat natura necessum est, quæ hoc vno (calore nempe) adiuta præsidio, intellectuali haudquaquam aduenante principio, partes effingit ac disponit singulas, et vt incolume totum conseruet, in vsus diuersos reseruat.

VNDE earum functionum quæ liberæ dicuntur, cerebrum substantiæ compositione frigidum & humidum, constitituit originem; cor verò iis præposuit motionibus, quæ ad caloris natiui conseruationem instituta sunt: Atque vt suas operationes propria substantia edunt seu parenchymate, ita ventriculus χύλωσιν, & iecur αἱμάτωσιν succatione longè præstantiorem, & viuenti magis necessariam, non aliorum sed proprij commodi gratia perficiunt. Quæ omnia in intemperiem delapsa, statim & cum dolore in partibus sensu præditis, aut sensim & sine dolore in omnibus, noxam corpori vniuerso inferunt.

IDCIRCO vbi ex substantiæ suæ vitio propria & specifica iocinoris actio læditur ab inæquali intemperie quadam morbis omnibus familiari, (hecticam semper excipio quæ vt ab æquali intemperie alterationis non naturalis termino proficiscitur; ita & sensus & omnis expers est doloris) oritur præter naturā affectus quem decet hepaticum languentis & imbecillæ facultatis sobolem, vt ventriculi cœliacum appellare, atque ipsum progrediente morbo in atrophiam abolitæ actionis vitium, aut corruptæ inducere speciem non est absurdum asserere. Quæ triplex & completa corruptionis differentia latitudinem cuiusuis læsæ actionis complectitur vniuersam.

RECTE hunc & certò renunciant excrementa non succulenta quidem læsæ attractricis eiusdem symptoma, vti neque cruenta omnis deiectio quā iecur validum à se excutiens in intestina deponit: Sed illa duntaxat quæ aquosi nigriue sanguinis colore insignita ciborum fastidium non perpetuò habent coniunctum, præterquam cùm sitis inexhausta vrget innatum iis febribus symptoma, quæ vt hepatis erysipelati semper, nonnunquam etiam frigidis succedunt affectibus: ita eò interdum perniciei deueniunt vt in marcorem abeant inexpugnabilem.

IN vsum abiit propriis morbos expellere contrariis, quorum suasu obstructiones sensu grauitatis manifestæ attenuantibus detergentibusque, non autē sola sanguinis è directo mißione arcentur, quamuis inflammationes eodem καθ' ἴξιν præsidio, quod necessariò expetunt, demulceantur; quæ cùm in perniciosum abscessum desinunt, cauterio non ita frequenter aperiendum, nouos excitant dolores, atque vt pro affectæ partis conditione grauiora aut periculosiora exoriūtur symptomata, sic etiam puris à consistentia, colore & odore optimi aut deterrimi eruptio procuranda est. Sed quoniam ea substantiæ pars quæ ex sanguine ortum habet non adeo vehementi naturæ contentione reparatur, hepatitim arte expugnari & curari posse palam est.

Est ergo hepatitis arte expugnabilis.



Asserebat QVIRINVS VIGNON Lotharingus Claromontanus CIↃ. IↃ. XCIIII